



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Petrus Apostolus. Firmitas fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. PETRUS APOSTOLUS.

Firmitas fidei.

Deus, qui B. PETRO, Apostolo tuo, collatis clavibus regni cælestis ligandi atque solvendi pontificium tradidisti; concede, ut intercessionis ejus auxilio in fide simus stabiles, & à peccatorum nexibus liberemur.

Ora pro Romano Pontifice,



SIMON JOANNIS, natione Galilæus, professione piscator, cum fratre Andrea vocatus à Christo, & inter 12 Apostolos primo semper loco habitus; ab eodē etiam nomen PETRI, & claves regni cælorum accepit, futurus universæ Ecclesiæ supremum caput. Talem ergo post Domini in cælos ascensum se gessit, & solus ex omnibus constituit propriam sibi Cathedram, primum Antiochiæ, deinde Romæ, cum jure summi Pontificatus, transituri ad successores. Ne tamen hinc impediretur, Euangelii causa quaquaversum excurrere, Linum & Cletū sibi subordinavit Episcopos Vicarios; quibus etiam tertium addidit Clementem, propter eos quos in ipso Neronis palatio lucratus Christo fuerat: eosq; omnes habuit in Apostolatu supremo successores. Ipse, post victum Simonē Magum, Neronis jussu affixus cruci fuit in Janiculo monte; sed, uti petierat, verso ad terram capite, anno Christi 65. Corpus in Vaticano sepultum à fidelibus, aliquamdiu etiam ad Catacumbas quievit; unde priori loco redditum insigni basilica honoravit Constantinus.

Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus, confirma Fratres tuos. Luc. 22.